DE SENECTVTE.

Habes hic candide Lector primum Luciani Samosatensi illius Macrobios, hoc est, ut nos dicimus, longæuos [redacted]. Libellus est profecto non tam festiuus quàm utilis: quòd plures hic subinde recenseantur, qui habita ratione uictus, floridi ad ipsam usq; ætatis arcem ascenderint. Adiecimus deinde carmen [redacted], argutum illud & plenum eruditionis, cui idem De molestijs senectutis titulum fecit. Videbis præterea quæ nup Henricus Stromerus Aurbachius, insignis Medicus, decreta ex intima Medicorum officina deprompta edidit: quorum qui cognitionem habent, facile uitæ terminũ in longissima tempora prorogauerint. Accesserunt his omnibus, quæstiones 138 [redacted] de molestia item senectutis, quas quia obscuritate carent, resolutas uocauit. Hæc nos quia intemperantissimæ iuuentuti profutura existimauimus, in unum collecta publicamus. Quare studium nostrum boni consulere ne graueris, & bene ualebis.

Norimbergæ: [redacted], Anno salutis M. D. XXXVII.

REVERENDO IN CHRI-
STO PATRI AC DOMINO, DOMINO
Ioanni Abbati in Fonte salutis, Dño
& patrono suo


Emperantiam sanitatis conseruatricē & longæ senectutis authorē ac propagatricē esse hoc libello Lucianus breuiter ostendit. Qui num ante hac ab aliquo sit Latinus factus, compertum non habeo. Hunc nulla æmulatione inductus in Latinum sermonē conuerti, neq; enim cum quoq; in hoc genere exercitij contendo, non ignorans permulta ad solidam huius linguæ cognitionē spectantia mihi deesse. Hoc opusculi Tuæ Reuerendæ Paternitati hisce Kalend. Ianuarijs uice strenæ missum uolo. Exiguum est quod mitto, sed cogita δόσιν μὲν ὀλίγην ἀλλὰ καὶ φίλην. Faxit autem Christus, ut quàm merito cum his tot clarissimis uiris sobrietatis & temperantiæ exemplum iuuentuti proponi queas, tam quoq; his longitudine senectutis sine ullo corporis incommodo iuste adnumerari possis. Vale.

LVCIANI MACROBII, ID EST LONGAEVI.



SOMNIVM muneris loco, clariſſime Quintille, iuſſus apporto tibi longæuos; ſomnium inquam, quod iam olim uidi, & amicis narraui meis, quo die minori natu filio tuo nomē indidiſti. Cum autem nulla coniectura potuiſſem aſſequi, quos nam Deus hoc ſomnio longæuos tibi me afferte mandaret, equidem Deos id temporis precatus ſum, ut uitam quàm longiſſimam tu & filij tui traduceretis, ratus ſcilicet hoc profuturum cum uniuerſo generi hominū, tum præ cæteris mihi & meis omnibus. Siquidem hoc ipſo & mihi quiddam fœlicitatis Deus uiſus eſt prædicere. Conſideranti autem apud animum meum uenit in mentem, ut par erat, homini in liberalibus diſciplinis uerſanti Deos hæc mihi præcepiſſe, ut aliquod eruditum opuſculum, & ab ingenuis artibus profectum ad te deferrem. Hanc itaqꝫ aptiſſimam natalitijs muneribus offerendis diem exiſtimās, eos tibi dedico, quos ad longam ſenectutem ſana mente & integris corporis uiribus perueniſſe comperimus. Fortaſſe autem ex huius libelli lectione gemina ad te peruenire poteſt utilitas, una ut & alacritatem animo & optimam ſpem concipias, & te poſſe quàm diutiſſime uiuere. altera qua inſtitutionem ab exemplis capias, cognitis ijs, qui poſteaquā maximam ſui curam habuerunt, corporis pariter & animi ratione habita, ſummam ſenectutem ſine omni corporis incommodo ſunt conſequuti. Homerus igitur Neſtorem Principum Achiuorum ſapientiſſimum uitam ſuam tribus ſeculis produxiſſe ſcribit, quem nobis & animo & corpore

exercitatum commendat. Et Tiresiam uatem poëtæ tragici ad sex usq; ætates hominum uitam prorogasse perhibẽt. Credibile est autem uirum Dijs immortalibus sacrum, & moderatiore uiuendi ratione utentem longissima uita fuisse functum. Quin omnes nationes propter uictus rationem longæuæ fuisse inueniuntur. Cuiusmodi sunt Aegyptiorũ sacri scribæ, & apud Assyrios & Arabas fabularũ interpretes, & apud Indos Brachmanes, ad amussim philosophiæ studijs uacãtes. Præterea quos Magos uocant, genus illud uatidicum & Dijs dicatum. Insuper apud Persas, & Parthos, & Bactros, & Chorasmios, & Sacas, & Medos, aliasq; multas gentes barbaras, quæ & firma corporis ualetudine sunt præditæ, & ualde diuturnæ, cum beneficio magicæ quã exercent, tum quòd & ipsæ accurata uictus ratione utantur. Iam uero gentes quoq; ætate omnium longissima utentes, ex quibus sunt Seres, ad trecentos annos usq; uiuere memoriæ proditum est. Cuius rei caussam nonnulli temperato aëri, nonnulli naturæ terræ, alij rationi uiuendi assignant. Siquidem aiunt omnes illas nationes tantum aquam potare. Compertum est autem Athotas quoq; centum & triginta annos uiuere, & Chaldæos ultra cẽtum annos egredi fama est, & eosdem hordeaceo pane uti, tanquam perspicacitatis pharmaco. Quibus perhibent ob hanc ipsam uictus rationem alios quoq; sensus quàm cæteris hominibus esse ualidiores. Sed hæc de nationibus longæuis, & gentibus quas plurimum ætatis aiunt uiuere, nonnulli propter situm terræ, nonnulli propter aëris temperiem, nonnulli propter rationem uictus, nonnulli autem propter utrunq;. Cæterũ ego iure optimo longe meliorem spem tibi ostendam, si planum fecero homines ubiq; terrarum & gentium, & sub quouis aëre degentes ad summam senectutem peruenire, q̃ commodis exercitationibus, & conuenientẽ sanitati uiuendi rationem sectantur. Facta aũt huius narrationis sectione

primū obseruatis uirorum studijs initio Reges & uirtute imperatoria claros homines memorabo, quorum unum summæ religionis pietas ad perfectissimum ordinem perducēs, maximis beneficijs imperium & terram ipsius affecit. Ad hunc modum & tu longæuorum hominum naturæ & fortunæ animaduersione intentus, tanto promptius sperare poteris senectutem sanam & lōgam, & pari studio hos ipsos æmulatus, tibijpse longissimam & prouectissimam uitam ratione uictus paraueris. Numas Pompilius Romanorum regum longe fœlicissimus, ac Deorum cultui deditissimus, supra octoginta annos uixisse traditur. Seruius autem Tullius & ipse Romanorum rex, similiter ultra octoginta annos uixisse dicitur. Tarquinius nouissimus rex Romanorū eiectus in exilium Cumis consenuit, ac ultra nonaginta annos firmissima ualetudine usus uixisse perhibetur. Et hi Romanorum reges fuere, quibus & reliquos reges adiungam, qui ad ultimam senectutem peruenerunt, demonstratis etiam illorum exercitationibus. In calce autem reliquos etiā Romanorum ad longissimam senectutem delatos adscribā, adiectis etiam cæteris Italiæ populis qui diutissime uixerunt. Etenim qui sola historia nostra tem aërem calumniantur, probabilibus argumentis refelli possunt, adeo ut meliorem spem habere liceat, fore, ut perfecti uoti compotes fiamus, & longissimam ac plenissimam tota terra mariq̧ dominantem senectutem iamq̧ in suis locis regnantem & senescentem consequamur. Proinde Aganthonius Tartesiorum rex centum & quinquaginta annos uixisse traditur authoribus Herodoto historico, & Anacreonte poēta lyrico, tametsi hoc quibusdam fabulosum uideatur. Agathocles Siciliæ tyrannus annos quinq̧ & nonaginta egressus fato functus est, sicut Demochares & Timæus literis prodiderunt. Hieron quoq̧ Siracusanorum tyrannus duos & nonaginta annos natus, morbis tandem assumptus obijt, cum

regnasset annos septuaginta, sicut Demetrius Callistianus & alij memorant. Anteas autem rex Scytharum, qui ad Istrum fluuium cum Philippo confligens in pugna occubuit ultra nonaginta annos egressus est. Bardylis uero rex Illyriorum, qui ex equo in eo quod gessit contra Philippum bello pugnasse dicitur, nonaginta annos compleuit. Teres rex Odrysiorum, authore Theopompo, duos & nonaginta annos agens mortuus est. Antigonus autem Philippi filius luscus rex Macedonum, in Phrygia cum Seleuco & Lysimacho confligens, multis acceptis uulneribus collapsus anno uno & octogesimo uitam finiuit, sicut narrat Hieronymus, qui cũ eo militauit. Porro Lysimachus & ipse rex Macedoniæ, in pugna contra Seleucum suscepta occubuit, octogesimũ annum consequutus, ut idem Hieronymus testatur. Antigonus uero filius Demetrij, Antigoni Lusci nepos, quatuor & quadraginta annos regnum Macedoniæ tenuit, uixit autem octoginta, sicut Medius & alij scriptores testantur. Consimiliter & Antipater patre Iolao genitus maxima fultus potentia, & qui multorum regum Macedoniæ tutelam egit, ultra octogesimum annum egressus excessit è uita. Ptolemæus autem Lago patre natus, inter reges propria fortuna fœlicissimus, imperauit Aegypto annos octoginta natus. Viuus autem tradidit imperium duobus annis antequàm moreretur Ptolemæo filio, cui cognomentum fuit Philadelpho, qui & paternum regnum à fratribus sortitus est. Philæteros, qui primus condendi circa Pergamum principatus author fuit, & eundem cùm esset Eunuchus obtinuit, mortuus est octoginta annos natus. Attalus autem cognominatus Philadelphus, & hic rex Pergamenorum, ad quem etiam Scipio Romanorum Imperator uenit, duos et octoginta annos agens uitam reliquit. Mithridates rex Ponti, Ktistes appellatus, Antigonum Luscũ fugiens in Ponto mortuus est, cum egisset annos quatuor

&

& octoginta, ſicut Hieronymus & alij ſcriptores prodide-runt. Ariarathes rex Cappadocum Hieronymi teſtimonio duo & octoginta annos uixit, atq; haud dubie ad grandio rem ætatem peruenire potuiſſet, niſi in pugna contra Perdi cam uiuus captus & in crucem ſublatus fuiſſet. Maior au-tem Cyrus rex Perſarum, ſicut Perſæ & Aſſyriorum hiſto-riæ loquũtur, quibus etiam ſuffragari uidetur Oneſicritas, qui res geſtas Alexandri Magni in hiſtoriam contulit, cen teſimum annum aſſequutus, requirebat unumquenq; ami-corum. Quorum cum plurimos à filio ſuo Cambyſe inter emptos comperiſſet, ac Cambyſes ipſius iuſſu hoc ipſum ſe feciſſe fateretur, partim ob filij crudelitatem probroſe affe-ctus, partim ſe ipſe tanquam iuſticiæ & legum uiolatorem accuſans, maxima triſticia conturbatus uitam finiuit. Arta xerxes Mnemonis cognomentum ſortitus, contra quem Cyrus frater exercitum duxit, imperiũ Perſarum obtinens, morbis conſumptus deceſſit, annos ſex & octoginta natus, ſed ut Dinon ſcribit quatuor & nonaginta. Artaxerxes al-ter Perſarum rex, quem patrum ſuorum memoria Iſidorus Characenus hiſtoricus regnaſſe tradit, cum annos tres & no naginta uixiſſet, inſidijs fratris Goſethre clam obtruncatus eſt. Sinarthocles autem rex Parthyæorum annos nonagin ta iam natus, à Sacauracis Scythis reductus ab exilio re-gnare incepit, & regnauit annos ſeptem. At Tigranes rex Armeniorum, contra quem Lucullus pugnauit, quinto & octogeſimo anno morbo conſumptus perijt. Hyſpaſynes Characenorum & regionum mari rubro adiacentium rex quinto & octogeſimo morbo correptus deceſſit. Tereus tertius poſt Hyſpaſynem earum nationum rex, cum uixiſ-ſet duos & nonaginta annos morbo perijt. Artabazus au-tem, qui ſeptimus poſt Giræum Characenorum regnum tenuit, ſex & octoginta annos reductus à Parthis ab exilio regnauit. Et Mnaſcyres rex Parthyæorũ ſex & nonaginta

annos

annos uixit. Mnasinissa uero rex Mauritaniæ nonaginta annos uixit. Asandrus autem à diuo Augusto loco Etnarchi rex Bosphori declaratus, annum agens nonagesimū & equestri & pedestri pugna nullo inferior uspiam est conspectus. Qui ut animaduertit Scribonio rem militarem commendatam, cibo abstinens diem suum obijt, cum uixisset annos tres & nonaginta. Goësus, ut Isidorus author est, Characenc regnum tenuit, quo tempore Manno quoque imperauit Arabibus, centum & quindecim annos natus, postremum morbo perijt. Tot igitur ante nostram memoriam memorandæ senectutis reges fuisse maiores nostri literis prodiderunt. His annumerantur Philosophi, & omnes qui ingenio & eruditione præstantes fuerunt, qui aliqua sui cura habita ad extremam senectutem peruenerunt.

Eos itaq; q̃s multa lectione didicimus, perscribemus, ac initio quidem philosophos, quorū Democritus Abderites centū & quatuor annos natus, cū alimento abstineret, mortuus est. Xenophilus Musicus, perhibente Aristoxeno, Pythagoricæ philosophiæ candidatus, ultra quinq; & centum annos Athenis uitam traduxit. Solon autem & Thales & Pittacus, qui è septem sapientum numero fuerunt, centum annos unusquisq; uixit. Zenon uero Stoicæ philosophiæ author & princeps octo & nonaginta. Hunc aiunt in concionem prodeuntē offenso pede exclamasse, quid me uocas, & domum reuersum inedia uitam finisse. Cleanthes Zenonis discipulus & successor, nouem & nonaginta annos natus, tuberculum in labijs habuit. Cumq; decreuisset inedia uitam absumere, allatæ sunt ei ab amicis literæ. Ac mox adhibito cibo, & perfectis amicorum postulatis iterū cibo abstinens uita defunctus est. Xenophanes autem Dexino patre natus, Archelai physici auditor, unum & nonaginta annos uixit. Xenocrates Platonis discipulus quatuor & octoginta, Carneades nouæ Academiæ fundator annos

quinq;

quinque & octoginta. Chrysippus unum & octoginta. Diogenes autem Seleucus Tigrius, Stoicæ sectæ philosophus, duodenonaginta. Posidonius Apamea Syriæ oriundus, lege autem philosophus Rhodius pariter & historicus octoginta quatuor. Eritolaus Peripateticus ultra duos & octoginta. Plato philosophorum sanctissimus unum & octoginta. Athenodorus Sandonis Tharsensis, qui fuit Cæsaris Augusti præceptor, cuius precibus Tharsis ciuitas uectigalibus leuata est, duos & octoginta annos agens mortuus est in patria. Huic Tharsensis populus quotannis solennes honores ut heroi psoluit. Nestor uero Stoicus & hic à Tharso ortum trahens, præceptor Cæsaris Tiberij duos & nonaginta. Xenophon Grylli filius uixit ultra nonaginta annos. Et hi celebres fuere philosophi. Ex scriptoribus autē historicis Ctesibius centum & uiginti quatuor annos egressus inter deambulandum mortuus est, sicut narrat Apollodorus in Chronicis. Hieronymus uero & in bellis uersatus, ac non paucis laboribus & uulneribus affectus, uixit ad annum quartum & centesimum, sicut refert Agatharchides libro nono historiæ Asiaticæ. Ac hominem non mediocriter demiratur, quod ad summum usque uitæ diem ualuerit in colloquijs, & in sensibus ad sanitatem necessarijs nō defecerit. Hellanicus Lesbius octoginta quinque annos uixit. Similiter Pherecides Syrus quinque & octoginta. Timæus Tauromenites sex & nonaginta. Aristobulus Cassandræus ultra nonaginta annos uixisse fertur, qui historiam suā quartum & octogesimum annum agens orsus est conscribere, id quod ipse in operis sui principio testatur. Polybius autem Lycorta patre genitus, Megalopolitanus, ruri rediens ab equo delapsus est, quo casu morbo correptus decessit anno secundo & octogesimo. Porrò Hypsicrates Amisenus historicus, uir in multis disciplinis uersatus, annos duos & nonaginta uixit. Cæterū ex rhetoribus Gorgias, quē

quidam Sophistam uocant annum agens octauum & centesimum inedia uitam finiuit. Hūc interrogatum caussam tam lōgæ senectutis & ualetudinis in omnibus sensibus uigentis, respondisse aiunt, quòd aliorum conuiuia non sit sectatus. Isocrates sex & nonaginta annos natus sermonē scripsit panegyricum. Iam uero ingressus annum nonagesimum nonū, cū accepisset Athenienses in pugna apud Cheroneam commissa à Philippo esse superatos, quiritādo Euripideum uersiculum recitauit ad se ipsum referens.

Sidonis urbis alta quondam mœnia
Cadmus relinquens.

Quibus cum adiecisset, fore ut Græcia in seruitutem prolaberetur, è uita decessit. Apollodorus autem rhetor Pergamenus, Cæsaris Augusti in diuos relati præceptor, quem unà cum Athenodoro Tharsensi bonis disciplinis imbuit, totidem quot Athenodorus annos, nempe duos & octoginta uixit. Potamon rhetor nō incelebris, annos nonaginta. Sophocles poëta Tragicus deuorato uuæ acino strangulatus est, cum egisset annos quinqꝫ & nonaginta. Hic à filio Iophante, sub finem uitæ in ius uocatus & desipientiæ accusatus, recitauit iudicibus Oedipum Colonæum, planum faciens ea fabula, quòd sanæ mentis compos esset. Qua audita, iudices ingenium eius admirati sunt, ac filium insaniæ damnauerunt. Cratinus autem poëta Comicus, septem supra nonaginta annos uixit. atqꝫ sub finem uitæ cum docuisset fabulam Pitynem, eaqꝫ uictor euasisset, haud ita multo post est mortuus. Non dissimiliter quoqꝫ Philemon Comicus septimum et nonagesimū annum agens decumbebat in lectulo quiescens. Qui cum uidisset asinum ficus sibi præparatas deuorantem, prolapsus in cachinnos, & accersito famulo, multo & uehementi cum risu præcepit asino merū ad sorbendum dari, atqꝫ ita risu suffocatus obijt. Epicharmus autem & ipse poëta Comicus septem & nonaginta

annos uixiſſe dicitur. Porrò Anacreon poëta Lyricus uixit annos quinq; & octoginta. Et Steſichorus poëta Lyricus totidem. Simonides Cius ſupra nonaginta. Sed enim ex Grammaticis Eratoſthenes Cyrenæus Aglai filius, quem non Grammaticum ſolum, ſed etiam poëtam merito quis uocarit, & philoſophum & geometram, duos & octoginta annos uixit. Quinetian Lycurgus Lacedæmoniorum legum conditor, quinq; & octoginta annos uixiſſe dicitur. Tot in præſentiarum Reges & eruditos homines colligere potui. Quia uero pollicitus ſum & Rhomanorum quoſdam longæuos, & Italos, qui ad ſummam ſenectutem peruenerunt perſcribere, eos tibi Dijs uolentibus præſtantiſſime Quintille in altero libro manifeſtabimus

FINIS

CARMEN AD GVILIELMVM COPVM Basileiensem, de senectutis incõmodis, Heroico carmine, & Iambico Dimetro Catalectico.



Nica nobilium medicorum gloria Cope,
Seu quis requirat artem,
Siue fidem spectet, seu curam, in q̃libet horũ
Vel iniquus ipse nostro
Præcipuos tribuit Gulielmo liuor honores.
Cedit fugitq; morbi
Ingenio genus omne tuo. Teterrima porrò
Senecta morbus ingens,
Nullis arceriue potest, pelliue medelis.
Quin derepente oborta,
Corporis epotet succos, animiq; uigorem
Hebetet, simul trecentis
Hinc atq; hinc stipata malis. quibus omnia carptim
Vellitq; deteritq;
Commoda, quæ secum subolescens uexerit ætas,
Formam, statum, colorem,
Partem animi memorem, cum pectore, lumina, somnos,
Vires, alacritatem,
Authorem uitæ igniculum, decerpit, & huius
Nutricium liquorem,
Vitaleis adimit, flatus, cum sanguine corpus,
Risus, iocos, lepores.
Deniq; totum hominem paulatim surripit ipsi.
Neq; de priore tandem
Præterq; nomen, titulumq; relinquit inanem,
Cuiusmodi tuemur
Passim marmoreis insculpta uocabula bustis,
Vtrum hæc senecta quæso, An

An mors lenta magis dicenda est? inuida fata, &
    Impendio maligna,
Vt quæ deteriora labantis stamina uitæ,
    Pernicitate tanta
Accelerare uelint, rapidisq́ alabier alis.
    At floridam iuuentam
Vsqueadeo malè præcipiti decurrere filo,
    Vt illius priusq́
Cognita sat bona sint, iam nos fugitiua relinquāt.
    Et citius atq nosmet
Planè uiuere senserimus, iam uiuere fracti
    Repente desinamus.
At cerui uolucres & cornix garrula uiuunt
    Tot seculis, uigentq́.
Vni porrò homini post septima protinus, idq́
    Vix dum peracta lustra,
Corporeum robur cariosa senecta fatigat.
    Neq id satis, sed ante
Quàm decimum lustrum uolitans absoluerit ætas,
    Tentare non ueretur
Immortalem hominis, ductamq́ ex æthere partē,
    Et hanc lacessit audax,
Nec timet ingenij sacros incessere neruos,
    Sua si fides probato
Cōstat Aristoteli, sed quorsum opus obsecro tanto
    Autore, quando certam
Ipsa fidem, heu nimium facit experientia certam?
    Quàm nuper hunc Erasmum
Vidisti media uiridem florere iuuenta?
    Nunc is repente uersus,
Incipit urgentis senij sentiscere damna,
    Et alius esse tendit,

Dissimilisq́ʒ fui,nec adhuc Phœbeius orbis
 Quadragies reuexit
Natalem lucem,quæ bruma ineunte Calendas
 Quinta anteit Nouembreis.
Nunc mihi iam raris sparguntur tempora canis,
 Et albicare mentum
Incipiens,iam præteritis uernantibus annis,
 Vitæ monet cadentis
Aduentare hyemem, gelidamq́ʒ instare senectam.
 Eheu fugacis, ohe
Pars ueluti melior,sic & properantior æui
 O seculi caduci
Flos nimium breuis,& nulla reparabilis arte,
 Teneræ ô uiror iuuentæ;
O dulces anni,ô fœlicia tempora uitæ
 Vt clanculum excidistis?
Vt sensum fallente fuga,lapsuq́ʒ uolucri
 Furtim auolastis, ohe
Haud simili properant undosa relinquere cursu,
 Virideis fluenta ripas.
Impete nec simili, fugiunt caua nubila, siccis
 Quoties aguntur Euris.
Sic sic effugiunt tacitæ uaga somnia noctis
 Simul auolante somno,
Quæ desiderium,curas & præter inaneis,
 Sui nihil relinquunt.
Sic rosa, quæ tenero modo murice tincta rubebat,
 Tenui senescit haustro.
Atq́ʒ ita,me miserum,nucibus dum ludo puellus,
 Dum literas ephebus
Ardeo, dum scrutor, pugnasq́ʒ uiasq́ʒ sophorum,
 Dum rhetorum colores,

Blandaq́ʒ

CARMEN

Blandaq; mellifluæ deamo figmenta poeſis,
Dum necto ſyllogiſmos,
Pingere dũ meditor tenueis ſine corpore formas,
Dum ſedulus per omne
Authorum uoluor genus, impiger undiq; carpo
Apis in modum Matinæ,
Pædias ſolidum cupiens abſoluere cyclum,
Sine fine geſtienti.
Singula correptus dum circumuector amore,
Dum nil placet relinqui.
Dumq; ꝓphana ſacris, dũ iungere Græca Latinis
Studeoq; molíorq;,
Dum cognoſcendi ſtudio, terraq; mariq;
Volitare, dum niuoſas
Cordi eſt, & iuuat & libet ereptare per alpeis,
Dulceis parare amicos
Dum ſtudeo, atq; uiris iuuat innoteſcere doctis,
Furtim inter iſta pigrum
Obrepſit ſenium, & ſubito ſegneſcere uireis
Miror'q; ſentioq;.
Vixq; mihi ſpacium iam defluxiſſe ualentis
Perſuadeo iuuentæ.
Quur adeo circumſpecte parceq; lapillis,
Quur purpuris & oſtro
Mortales utuntur, & ætas aurea, tanto
Præcioſior lapillis,
Et quouis auro, quouis præcioſior oſtro,
Prodigitur, inq; nugis
Conteritur miſeris nullo uecorditer uſu,
Siniturq; abire fruſtra?
Adde quod illa queant ſarciri perdita, Craſſos.
Speres tibi licebit,



Et Lydos

Et Lydos speres Crœsos, iam Codrus, & Irus,
Sed quod semel seuera
Pensilibus fusis Clotho deuoluerit æuum,
Id nec uenena Circes,
Nec magicum Maia nati gestamina, sceptrum
Necq; dira Thessalorum,
Medeæ succis reuocare precamina possint.
Non si uel ipse diuûm
Nectare te saturet pater, Ambrosioq; liquore.
Nanq; his ali iuuentam,
Arceri senium, scripsit nugator Homerus.
Non si tibi efficaci
Rore riget corpus Tithoni Luthea coniunx,
Non si ter, octiesq;
Phaon per Chias Venerem transuexeris undas.
Non si tibi ipse Chiron
Omneis admoueat, quas tellus proferit, herbas.
Nec anulus, nec ulla
Pharmaca, cũ neruis annos remorantur eunteis.
At qui ferunt Magorum
Monstrifico sisti torrentia flumina cantu,
Iisdem ferunt relabi
Præcipites amnes, uerso in contraria cursu.
Et Cynthiæ uolucres,
Et rapidas Phœbi sisti, figiq; quadrigas.
Sed ut hæc stupenda possint
Carmina, nõ speres tamẽ improbus, ut tibi q̃ndam
Aut iam peracta uitæ
Secla iterum referant, aut prætereuntia sistant.
Sol mergitur, uicissimq;
Exoritur nouus, & nitido redit ore serenus.
Extincta Luna rursum

Nascitur,

Nascitur, inq; uices nunc decrescente minuta
Sensim senescit orbe,
Nunc uegeta arridet tenero iuueniliter ore.
Redit ad suam iuuentam,
Bruma ubi cõsenuit, zephyris redeuntibus, annus.
Et post gelu, niueisq;
Ver nitidum, floresq; reuersa reducit hirundo.
At nostra posteaquam
Feruida præterijt seclis labentibus æstas,
Vbi tristis occupauit
Corpus hiems, capitisq; horrentia tempora, postq;
Niue canuere densa,
Nulla recursuri spes, aut successio ueris,
Verum malis supremum
Imponit mors una, malorum maxima, finem.
More Phrygum inter ista
Incipimus sero sapere, & dispendia uitæ
Incogitanter actæ
Ploramus miseri, & consumptos turpiter annos
Horremus, execramur.
Quæ quondam heu nimium placuere, & quæ uehementer
Mellita uisa dudum,
Tum tristi cruciant recolentia pectora felle
Frustraq; maceramur
Tam rarum sine fruge bonum fluxisse, quod omni
Bene collocare cura
Par erat, & nullam temere disperdere partem,
At nunc mihi oscitanti
Qualibus heu nugis, quanta est data portio uitæ
Satis hactenus misselle
Cessatum, satis est dormitum, pellere somnos
Nunc tempus est Erasme,



Nunc expergiſci,& tota reſipiſcere mente
Velis dehinc, equiſq́3
Et pedibus,manibusq́3,& totis deniq́3 neruis
Nitendum,ut anteacti
Temporis, & ſtudio iactura uolubilis æui
Vigilante ſarciatur,
Dum licet, ac dum triſtis adhuc in limine primo
Conſiſtimus ſenectæ,
Dum noua canicies,& adhuc numetabilis,& dum
Pilis notata raris
Tempora,duntaxat ſpacium effluxiſſe uitentis
Iam clamitant iuuentæ,
Nec tam præſentem iam teſtificantur adeſſe
Quàm nunciant citatum
Ferre gradũ,& ſterilem procul aduentare ſenectã.
Cuiuſmodi uidetur
Tum rerum facies, quum autumni frigore primo,
Iam uernus ille pratis
Deceſſit decor, ac langueſcunt lumina florum;
Iam iam minus niteneteis
Herbas affirmes,Boreasq́3,geluq́3 nocentis
Iam prætimere brumæ.
Ergo animus,dum totus adhuc conſtatq́3,uigetq́3,
Et corporis puſillum
Detrimenta nocent,age iam meliora ſequamur.
Quicquid mihi deinceps
Fata æui ſupereſſe uolent,id protinus omne
CHRISTO dicetur uni.
Quo,cui uel ſolidam decuit ſacrarier,ut cui
Bis terq́3 debeatur,
Principio gratis donata, hinc reddita gratis,
Totiesq́3 uindicata,

Huic

Huic saltem pars deterior, breuiorq; dicetur.
Post hac ualete nugæ,
Fucatæq; uoluptates, risusq;, iociq;,
Lusus, & illecebræ.
Splendida nobilium decreta ualete sophorum.
Valete syllogismi.
Blandæ Pegasides, animosq; trahentia Pithûs
Pigmenta flosculiq;.
Pectore iam soli toto penitusq; dicato,
Certum est uacare CHRISTO.
Hic mihi solus erit studium, dulcesq; Camœnæ,
Honos, decus, uoluptas.
Omnia solus erit, neq; quicq; ea cura (quod aiunt)
Mouebit Hippoclidem.
Terrea si moles, compagoq; corporis huius
Marcescet obsolescens.
Mens modo pura mihi, scelerumq; ignara, per illũ
Nitreatq;, floreatq;,
Donec summa dies pariter cum corpore mentem
Ad pristinum nouata
Conuictum reuocabit, & hinc iam ucre perenni
Pars utraq; fruetur.
Hæc facito ut rata sint, uitæ exorabilis autor,
Vitæq; restitutor.
Quo sine nil possunt unq; mortalia uota, &
Vires labant caducæ.

FINIS

HENRICVS
STROMER AVRBACHIVS MEDICINAE DOCTOR, LEctori fœlicitatem.



Susceptæ disputationis huius causæ.

QVVM ingrauescente hac ætate mea, disputandi munus ad me redeat, lector optime, operæprecium me facturum arbitror, si de senectute disputandi argumentum proponam. Primum ut uel obiter commonefaciam huius temporis adolescentiam & iuuentutem, ut sobrie, ac temperanter uitam exigant, ne, quos decreta mea explicant, per senectutẽ morbos in se experiantur; & senes, ut mala imminentia, si uenerint, facilius ferant: deinde, ut commemorandis in cõmodis, quæ cum multis mihi sunt, & erũt in posterum communia, & naturæ necessitate ingruunt, doloris mihi saltem nonnihil leniatur. Quod nolim tamen sic accipi, quasi grauiter ipse feram senectutem meam, aut iniquus sim illi ætati, quam in alijs semper sum ueneratus. Tantũ enim abest, ut probem, quæ in senectutem ab imperitis per calumniam dicuntur, ut rationabiliter ab illis dictum nihil existimem.

Quæ in senectutem per calumniam dicantur.

Nam odiosam & miseram esse aiunt isti senectutem, quòd à gerendis rebus auocet, quòd corpus imbecillum, ac infirmum reddat, quòd uoluptatibus priuet, quòd memoriam labefactet, quòd liberaliter sæpe nata ingenia sordido auariciæ affectu inquinet, quòd ex facilibus, placidis, iucundis, difficiles, iracundos, morosos, & anxios reddat: & hac maxime de causa ætate florentibus inuisos: quòd uiuendo diu, multa, quæ nolint, uideant senes, & quòd à morte denique haud multum absint. Ex quibus nullum est, quòd non aut falso senectuti affingitur, aut non est eiusmodi, ut de eo conqueri nemo debeat. A rebus enim gerendis, non abstrahit

Eorũ quæ falso ueneran dæ senectuti affinguntur, confutatio.

senectus

ſenectus, niſi quæ iuuentute geruntur, & uirium robore. Iā alia ſunt honeſta ſenum negocia, quæ, uel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtrantur. Non eadem agunt, quæ iuuenes, ſed his & maiora & meliora: non enim uiribus, aut uelocitatibus, ac celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, autoritate, ſententia, rerum experientia: quibus non modo non priuari, ſed & augeri ſolet ſenectus. Temeritas, eſt florentis ætatis: prudentia, conſilium, ſeneſcentis, quæ, ſi non eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium maiores noſtri ſenatum appellaſſent.

A rebus gerendis non auocat ſenectus.

At corpus facit imbecille, & infirmum, ſenectus. quod corpus? quod adoleſcentiam, & iuuentutem intemperantem uixit. Verum alia non pauca, quantum ætatis modus patitur, ſatis firma habet. Poteſt enim exercitatio moderata, & temperantia, etiam ſenectuti conſeruare aliquid priſtini roboris. Et, quemadmodum nemo pueri ualetudinem culpat, ſi uires iuuenis non habet, ita ſenectus taxanda non eſt, ſi pro ſua ualetudine proprium, & annis illis debitum, corporis robur obtinet. Vixerūt cum hoc multi ſenes in gloria ad extremum uſq; uitæ terminum, ſed paucos tantum ex his enumerabo, Plato diuinus ille philoſophus, unum & octoginta annos natus, ſcribens mortuus eſt. Xenophilus inſignis Muſicus, centum & quinq; annos uixiſſe, ſine ullo corporis incommodo fertur. Leontinus Gorgias centum & ſeptem annos compleuit, neq; unquā in ſuo ſtudio atq; opere ceſſauit, qui quum ex eo quæreretur, cur tam diu uellet eſſe in uita, nihil habeo, inquit, quòd incuſem ſenectutem. Præclarum reſponſum, & docto homine non indignum. Sua enim uicia inſipientes, & ſuam culpam in ſenectutem conferunt: qui ut ſenectutem adipiſcantur optāt, eandem accuſant adepti. Sed omiſſis aliјs, quorum infinitus eſt numerus, uerto ſermonem ad Medicos. Hippocratē qui tantus fuit, ut ex Philoſophis, & Medicis potiſſimi, ad

Quæ corpora ſenectus reddat imbecillia.

Multi ſenes inculpata corporis ualetudine ad extremum uitæ terminū uixerunt.

Plato.

Xenophilus.

Leontinus Gorgias.

Hippocrates.

 hæc

hæc usq; secula, non dubitarint eius de natura doctrinam amplecti, Galenus temperatum adeo fuisse asserit, ut nona

Auenzoar ginta nouem annos uixisse feratur. Auenzoar præclarus ille Medicus, uti Rases testatur, cui nō parū multū tribui debet in re medica, centū triginta quinq; annos compleuit: in quadragesimo suæ ætatis anno, in Medicina operari cœpit, ita ut in artis operibus, per senectutem diutius uersatus sit, quā uiuunt pleriq; natura robusti, at intemperantes. De

Galenus. Galeno Medicorum omnium facile (Hippocratē excipio) principe, exploratum est, centum & quinquaginta annos eum uixisse (& uti Nicolaus Perottus episcopus Sypontinus scribit) tanta in cibo, potu'q; abstinentia usus est, ut nunquam ad sacietatem comederit, aut biberit, nec temere crudum quicquam gustarit: quare odoriferum anhelitum semper spirans, sine morbo sola senectute defecit.

Nicolaus Leonicen9 Et his quidem non dubito connumerare Nicolaum Leonicenum Medicum, & patrum nostrorum, & nostra memoria professione publica, & libris æditis clarum, coætaneos habuit hic uir, ætatis longæ beneficio (uixit enim annos nonaginta sex) omnes ferē Italiæ doctos homines, quibus & linguarum & doctrinarum instaurationem debemus. Inter eos uero primus ipse herbariā penè desitam, & iniuria temporum negligenter habitam, in disquisitionem reuocauit: Hippocratis & Galeni libros aliquot fidelius traduxit: in barbaros scripsit, & ueritatis studio cum omni antiquitate concertauit: & hæc omnia inclinante magis ætate fecit. Nam quæ etiam iuuenis olim traduxerat, & scripserat, paulò ante quàm moreretur recognouit: & Apologia aduersus obtrectatores, seipse defendit. breuiter, docuit hic saltē hoc seculo, quid possit senectus, si ad honesta studia ætas anteacta instructa sit, & senili gloriæ conseruata. Nec præ-

Ioan. Lātz pergius, olim à Mc terire ullo modo possum, nec debeo, uirum longe optimū, Doctorem Ioannem Lantzpergium, Clarissimi quondā

herois

heroîs, ac bellicosissimi fortissimiq; principis, & Domini, Domini Alberti Ducis Saxoniæ &c. quem merito Achillem potuisses sui seculi dicere, Medicum, præceptorem olim nostrum: qui Philosophica & Medica studia, quæ iuuenis non sine laude excoluerat, in senectute non modo nō omisit, sed & Theologica illis adiunxit: hoc nimirum spectans, ut approximante eo termino, quem natura af fore iam olim præuiderat, hac uita non libenter solum, & sine querela cederet: sed ad meliorem animæ statum cupide suspiraret, qua uero hominum gratia uixerit, & quo bonorum desyderio octogenarius mortuus sit, uir longe omnium festiuissimus ac uerus philosophus, uel in extremo uitæ, & quàm fortiter opes & pecuniam contempserit, & quā liberalis in pauperes Christi extiterit, adhuc uiua multa sunt in hac urbe testimonia. Testamentum enim non condidit, qa erogatis per uitam in pauperes ferè omnibus fortunæ bonis, unde faceret non habuit.

diānis Ducis Saxoniæ Alberti, Lipsiæ maximi collegij Collegæ: & in Medicina prælector.

Iam non minus falso adscribitur senectuti, quod omnibus uoluptatibus priuet: nam illis duntaxat uoluptatibus nos leuat, quæ sunt esca malorum. Quare præclarum potius senectutis munus est, dum à nobis aufert, quod etiam in adolescentia uitiosum est. nulla eīn capitalior pestis quàm uoluptas corporis, hominibus à natura data est, qui enim pecudum ritu, omnia ad uoluptatem referunt, nihil altum, nihil magnificum, nihil diuinum suspicere possunt. Bene Sophocles respondit, quum ex eo quidam iam effœta ætate, quæreret, uteretur ne rebus Venereis: Dij (inquit) meliora: libenter uero istinc sicut à domino agresti, ac furioso perfugi, furiosis iuuenibus forte iucundum ijs infamibus uoluptatibus uti, senibus uero odiosum, ac molestum est. Sed de illis beluinis uoluptatibus, quæ rationi inimicæ sunt, plus quàm uolebam. Senes uoluptates honestas habent, si recordantur bene transactæ uitæ munia, quàm multa in

Senectus non priuat uoluptatibus.

ta in bonos, in amicos, in literas & literatos, in rem publicam contulerint officia. quæ per diametrum distant à dedecorosis, epularum, ludorum, scortationum, uoluptatibus. Silentio dedita opera prætereo, senum innumeras uoluptates, quas ex agricultura percipiunt; quasq; eloquentiæ magister M. T. Cicero in Catone suo maiore commemorat.

Senes qui têperäter uixerunt, pollent memoria.

Porrò non læditur in iis senibus memoria senectuti concessa, qui tantum cibi, potusq; ingerunt, ut uirtus seruetur, non obruatur: & qui sedulo eam exercent, uesperi memoria uoluentes, quid quoq; die audierint, dixerint, egerint, legerint. Multa senum exempla omitto, quæ annales de optimis senum memoriis exponunt.

Abiecto et ordidus auaricia affectus non omnibus senibus adscribendus est

Quod auariores autem euadant quidam senes, id ipsum omnibus immerito imputatur. Nam qui ab ineunte ætate sapienter instituti, frugi homines extiterunt, & temperanter uixerunt, paucis etiam in senectute contenti sunt: non ignorantes, Auariciam studium pecuniæ habere, quam nemo sapiens concupiuit. Et q ea quasi uenenis malis imbuta, uti Salust. ait, Corpus animumq; uirilem effœminat, semper infinita, & insatiabilis, neq; copia neq; inopia minuit. Verum quod senes prodigi non sunt, & dant, ubi, quando, & quantum dandum est, seruantes hæredibus, in quibus uita ipsi functi uiuunt, fortunæ bona recte, iusteq; parta, ab hominibus turbidi iudicii, illiberales & auari immerito iudicantur.

Quod senes odio habentur, nequaquam senii, sed malorum q oderunt culpa est.

Nunc esto etiam, q à nonnullis, qui in florente ætate sunt odio senes habeantur: non senii hæc, sed malitiæ illorum, qui oderunt, culpa est. Sint nonnulli morosi, anxii, iracundi, & difficiles: morum hæc uitia sunt, non senectutis. Nam offendas contra multos senes, pacificos, moratos, humanos, & omnium horarum homines.

Neq; uero cēsenda est misera senectus, quòd ætatis longæuitate non raro senes uideant, quæ nolint. Nam si quis

ita ſe comparauit, ut ad quoſuis fortunæ inſultus ſit intrepidus, interuenire ſenectuti nihil poteſt tantũ, ut eius cauſſa mortem citius, quàm Deo uiſum ſit, & natura ferat, optare debeat; ut ne addam hoc, ut eſt inexplebile homini cognoſcendi deſiderium, quot multi in hoc uiuere cupiant, ut plura indies uideant, & qualeſcunq; rerum euentus intelligãt. Quòd ſi iam inter hæc iucunde quædã accidunt, ex fœlici Reipubl. ſucceſſu, ex liberorum & nepotum uirtute, ſplendore, gloria, uoluptatis eius gratiam ætati ſuæ debent ſenes, per quam uidiſſe ac noſce datum eſt, ad quæ plerieq; omnes aſpiramus.

Miſera nõ ẽ ſenectus q cogitur multa, q̃ nolit et cernere et experiri, quũ et cõtra, multa oblectãtia in ſe cõtineat.

Poſtremum eſt, cur miſera ſenectus uideatur, q mortí uicina eſt. At hæc, ut potiſſima cauſſa putatur, ita miſeriæ ſecum nihil adfert. nam quum omni ætati mors communis ſit (omni enim tempori, omni ætati tanquam ſaxum Tantali ſemper impendet, etiam florenti) quis eſt tam ſtultus, ut inquit Cice.) quamuis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad ueſperum eſſe uicturum? Quinetiam multo plures caſus mortis, ætas illa, quàm ſenectus habet, facilius in morbos incidunt adoleſcentes (Hippocrate docente) quàm ſenes, uel grauius ægrotant, & triſtius curãtur; itaq; & pauci ueniunt ad ſenectutem. Sed ne horum quidem mors miſera putanda eſt, quòd præmatura. Nam quod cuiq; temporis ad uiuendum datur, eo debet eſſe contentus, & breue ætatis tempus, ſatis eſt longum, ad bene beateq; uiuendum. Sin proceſſeris longius, non magis dolendum eſt, quàm agricolæ dolent, præterita uerni tempris ſuauitate, æſtatem autumnumq; ueniſſe. uer enim tanquam oſtendit fructus futuros, reliqua autem tempora, demetendis frugibus & percipiendis accommodata ſunt. Fructus bene actæ uitæ ſenectus percipit, & ante actorum bonorum memoria & copia fruitur. Omnia porrò quæ ſecundum naturam fiunt, ſunt habenda in bonis. Quid autem eſt tam ſecundum naturam

Quòd non propterea miſera ſenectus cẽſenda ſit, quia morti proxima.

quàm senibus emori? quod contingit adolescentibus, aduersante & repugnante natura. Itaq; adolescentes sic mori uidentur, ut cum aquæ multitudine, flammæ uis opprimitur: Senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita ui, consumptus ignis extinguitur. Et ut poma cruda ab arboribus ui auelluntur: matura uero & cocta decidunt sua sponte: Sic uitam adolescentibus uis aufert, senibus maturitas. Ad de etiam quòd senum, Christianorum utiq; mors, nec pertimescenda, nec lugenda est: q eam sequitur uitæ perennitas. Siquidem mori Christianis nihil est aliud, quàm ad ueram & æternam beatitudinem transmitti. traducimur enim in uera Christiana fide, & uita, in domino obdormimus, è seruitute in libertatem, de caligine ad lucem, de periculis ad tuta omnia, de morbis ad icolumitatē, de miserijs ad fœlicitatē, de morte ad uitā, de caducis ad æterna, de terrenis ad cœlestia, deniq; ab hominum colluuie ad angelorū contuberniū, & ad Deum Opt. Max. quo solo frui, & præterea nihil, hominis satiare potest desiderium. Et hæc quidem in caussam afferre libuit, cur hoc disputationis argumentum proposuerim. non q de ætate mea ipse quicquam conquerar, sed quòd agnoscere ea, quæ naturæ necessitate senectuti accidunt, nec miseram tamen illam reddunt: & reijcere, quæ ab imprudentibus illi male adscribuntur, deq; ijs per ocium philosophice ac medice commentari, non dedecere me existimaui. Tu uero Lector optime, si quid ago uerbosius, ignosces mihi. nam senectus loquacior est natura, ne ab omnibus eam uitijs uidear asserere. Bene uale, & ualetudinem tuam quantum licet senectuti firmæ conserua, aut quæ tua ipsius culpa tibi præter naturam acciderint, æquo animo patere. Datum Lipsiæ, uicesima Augusti, Anno nato Saluatore M D XXXVI.

Christianorū mortem non lugēdā q transinit tat ad immortalē uitā: et ad æternā gloriam, q est aggregatio omniū bonorū.

Citra Deū homis animū satiare potest nihil.

Senectus loquacior est natura.

DECRETA ALIQVOT MEDICA QVAE IN DISPVTATIONEM PVBBLICAÃ PROPONẼTUR, per D. Doctorem Heinricum Stromer Aurbachium.

Ex ſubſcripta quæſtione illata.

Vtrum { Senectus, immodica morborum copia ſcatẽs, in qua, concoctio, ſanguificatio, digeſtio, appoſitio, nutritio: & appetentia, & ſenſus, & motus, oblæſa ſunt omnia: in qua conſtituti, ſæpenumero deſtillationibus, tuſſibus, difficultate ſpirandi, urinæ ſtillicidijs, renum paſſionibus, uertiginibus, ſtupore, tremore, conuulſione, apoplexijs, reſolutione neruorum, malis habitibus, prurítu totius corporis, alui, oculorum, & narium humiditatibus, uiſus hebetudine, glaucedinibus, auditus grauitate, obliuione, atq; alijs innumeris morbis ac paſſionibus corripiuntur.
Sit ſemita ad mortem, omniumq; hominis ætatum, ut frigidiſſima, ita ſicciſſima. }

DECRETVM PRIMVM.

Senes immodica morborum copia ſcatent, præſertim ij, qui intemperantem & adoleſcentiam, & iuuentutem uixerunt. Eam ob rem, ſi in ultimo ſunt ſenio, de quo noſtra decreta loquuntur, non quærendi ſunt, quomodo ualeant, ſed ubi doleant.

Senectus multa ſecum fert incommoda, canum caput, faciem rugis aratã, effœtam uniuerſi corporis cutim, eiusq; 11

fœdũ colorem, prauam concoctionẽ, ſanguificationem, digeſtionem, appoſitionem & nutritionem.

III Tametſi Hippocrates aſſerat, ſeniores, magna ex parte, minus ægrotare quàm iuuenes, id tamen de omnibus ſenibus accipiendum non eſt. Quòd non omnes cõtinentes, moderatiq́ſ ſint, nec omnes partius uictitent, & ſub iugo rationis doment cupiditatem. Eam ob cauſam, qui luxu uitæ prodigalitateq́ſ & blandicijs uoluptatum, & ganeæ ſtudio laſciuiunt, uitamq́ſ conſectantur Epicuream, magis ægrotant iuuenibus.

IIII In ſenibus cibi appetentia, ſenſus, & motus, oblæſa ſunt omnia, in illis nanq́ſ hebeſcunt ſenſus, membra torquẽtur, præmoritur uiſus, auditus, inceſſus, dentes, uocis, & ciborum inſtrumenta.

V Senes difficultate ſpirandi, deſtillationibus, tuſſibus, urinæ ſtillicidijs, articulorum doloribus, renum paſſionibux corripiuntur.

VI Senes ſtupore, tremore, conuulſione, raucedine, uertigine, neruorum reſolutione, apoplexijs afficiuntur: quippe nullus morbus adeo ſenili ætati familiaris eſt, ſicuti apoplexia, quòd in ea cerebrum pituitoſis repletur ſuperfluitatibus: hinc à magni nominis Medicis apoplexia ſenectutis comes dicitur.

VII Cachexiæ, id eſt, mali habitus, totius corporis pruritus, & ulcera curatu difficilia, non rarenter ſenibus accidunt.

VIII Senectus quod plena ſolicitudinum, curarumq́ſ eſt, & natura ſicca, uigilijs nimijs plerunq́ſ laborat.

IX Capulares ſenes redundant alui, oculorum, & narium humiditatibus: iccirco ſæpenumero, uel ob leuem magis quàm grauem cauſam, in lachrymas prorumpunt.

X Viſus hebetudine, oculorum glaucedine, auditus grauitate ſenectus grauatur.

XI Obliuio potiſſimum in ſenecta inuenitur, merito itaq́ſ ſenectus obliuionis domus dicitur. Aetas

Aetas in infantiam, pueritiã, adolescentiam, iuuentutẽ, (quæ flos ætatis dicitur) & senectutem diuiditur: quas tamen subdiuidi posse non negamus. XII

Vita in humido & calido consistit: hinc dici solet, quòd quàm primum orimur, morimur XIII

Senectus hominum, ut est omniũ ætatum frigidissima, ita & siccissima. XIIII

Homines exercitia habentes, quæ plus æquo siccant, cæteris breuioris sunt uitæ. XV.

Quidam Medici, excrementis senum humidis decepti, senectutem dixerũt humidam, quòd oculi his lachrymis suffundantur, nares destillatione manent, in ore eorum saliuæ copia exuberet, ad hæc tussiant, excreent pituitam, & uenter illis pituita plenus sit, tum quod singuli articuli quodam modo muccosi. XVI

Nihil eorum, quæ ante dictum decretum attulit, obstat, quo minus senum corpora sicca censeantur: ut quorum neruos, & arterias, & uenas, & membranas, & omnium instrumentorum tunicas sicca offendes, circumfundi autem illis extrinsecus intrinsecusq; pituitosum quendam humorem non negamus. XVII

Recte Aristoteles senium marcescenti stirpi adsimilat. Quippe stirpes, nouellæ dum sunt, molles humidæq; cernuntur: senescentes, assidue magis siccescere uidentur: postremum aridæ prorsus redduntur: idq; ipsis mors est. XVIII

Frigidissimam senectam esse, argumento est, ꝙ tangẽti senes frigidi appareant: & facile in frigidum statũ mutẽtur, & nigri, & liuidi fiant, frigidisq; morbis facile capiantur. XIX

Vera est Galeni Medicorũ omniũ facile principis (Hippocratem excipio) sententia, de temperamentis, astruẽs senectam esse semitã ad mortẽ, & uiã ad interitum. quippe ꝗd senescit & antiquatur, prope corruptionẽ abolitionemq; est: hinc & senilis iuuentus, præmaturæ mortis signum est. XX

VT COPIOSIVS SIT DISPVTANDI ARGVMENTVM, adiecimus Decem decreta ab instituto aliena.

I Cor princeps membrum, auctor & origo pulsus, fons caloris & uitæ, sicuti sol luminis: est omnium membrorum longe calidissimum, ad cuius immodicas intemperaturas, mors sequitur.

II Fieri non potest, ut duo indiuidua sint exacte eiusdem temperamenti.

III Nihil prohibet uel diuino miraculo, uel cœli influētijs, uehemēter fauētibus & propicijs, aut medicinæ beneficio, naturalem hominis uiuendi terminū prolongari, longe ultra centesimum annū. Verum quis sit finis senij, & uitæ hominis, humanā rationem fugit: quòd lateat mortales, qualis sit adæquata natiui caloris, ad humidum radicale proportio, penes quam mensuratur uitæ duratio.

IIII Pueri sunt ætate florentibus, calidiores.

V Quemadmodum præstat casurum seruare, ne cadat, quàm lapsum erigere, ita tutius salubriusq́ est, morbum non admittere, quàm admisso remedium quærere.

VI Calidum & humidū temperamētū, quod est omniū temperamentorū aëris pessimum, in quatuor anni partibus nō inuenitur: in graui pestilētia offenditur nōnunq́. Ver omnis excessus expers est, non calidum, & humidum.

VII Error in conseruanda bona ualetudine est, à potu ordiri cœnam: quæ recte ualentibus copiosior prandio præcipienda est.

VIII Non conuenit crudos humores, nisi turgeant, in morborum initijs, purgatorijs medicaminibus euacuare: non obstante Hippocratis sententia, Inchoantibus morbis, si quid uidetur mouendū, moue.

Recte

Recte dixit noster senior Hippocrates, Medicina est appositio, & detractio: deficientiũ quidẽ appositio, redundantiũ uero detractio Et ꝙ cõtraria cõtrarijs curanť: quæ, ut ipse & alij medici accipiũt, in oĩbus prædicamẽtis ostendũť. IX

Cõmune medicinarũ electiue soluentiũ nocumentũ est, potissimũ non correctarum, quod faciũt senescere corpus, qui enim sæpenumero utuntur euacuatorijs medicinis, cito sentiunt incommoda senectutis: afferunt enim principalibus menbris, quæ sunt fontes uirtutum, & delatoribus earũ, natiuo calori & spiritui, debilitatem. X

DECEM PROBLEMATA QVAE V.T MEDICINAE STVdiosi maiorẽ ingenij exercitandi ansam habeant, addidimus.

Quã ob causam senect⁹ in locis æditis, nõ modo tardať, uerumetiã uita plongatur. At in locis profundis, & paludinosis acceleratur, & uita alioqui fugax abbreuiatur. I

Cur uox in capularibus senibus, fœminis & eunuchis, longe tenuior est, quàm uiris in florenti ætate. II

Cur in aqua imago, suo archetypo grandior appareat. III

Quid causæ est quod edulia calida, facilius ore, quàm manu sustineamus. IIII

Qui fit, ꝙ mœrẽtes, gaudẽtes ridentesꝗ lachrimantur. V

Quamobrẽ morbi sunt cõtagiosi, & nõ sanitates: ut oculorũ morbo laborãs, morbũ ad sanum in oculos immittat, nec tamen sanus in ægrotum sanitatem immittat. VI

Qua causa fiat, ꝙ p hiemẽ, quũ simus intus calidiores (ut in sentẽtijs ostendit Hippocrates) pituita generetur. VII

Quid causæ est, quòd aplopecticus, nisi corpus eius fœteat: & manifestissima mortis indicia appareãt, ante dies tres naturales, id est, ãte septuagita duas horas humãd⁹ nõ sit. VIII

Quare

IX Quare qui esuriens biberit, aliquantulum famem sublevat, qui uero sitiens cibum sumpserit, non solum non domat sitim, sed magis cupedinem potus accendit.

X Quam ob causam Salustius subtilissimus breuitatis artifex, in auariciam, quæ nec copia nec inopia minuitur, dixerit, quod ipsa non animum modo uirilem, sed corpus quoq; ipsum effœminet.

FINIS.

GEORG. A SZODE LECTORI.

VT flores sequitur, laudataq; tempora Veris,
Aureaq; æstatis gaudia, tristis hyems:
Sic sequitur lætos annos incurua senectus,
Pulchraq; deformat turpibus ora rugis.
Quam nec fata Deum, clari nec Apollinis artes
Depulerint, medicas respuit illa manus.
Sed quamuis nulla est prorsum expugnabilis arte,
Attamen hac poteris commodiore frui.
Si fuerit tibi composita; & non stulta, iuuenta,
Quam non perdiderint luxus & illecebræ.
Quam non ebrietas, quam non infame lupanar
Fregerit, ut neruis destituare tuis.
Stromerus ueluti hoc paruo exiguoq; libello
Cum primis Medica clarus in arte docet.
Nam paucis uoluit contexere quicquid acerbi,
Quicquid morborum cruda senectus habet.
Vt quum cognoris, recte & præuertere possis,
Et melius uitæ consulere ipse tuæ.

Resolutæ

RESOLVTAE
QVAESTIONES CXXXVIII.
DE MOLESTA SENECTVTE.

Psalmo LXXI.

Ne proijcias me in tẽpore senectutis, quum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me, Domine.

e

ARGVMENTVM.

IVuentutem Temporis esse prodigam, uel ex eo manifestum est, q; ludis potissimum inutilibus, & turbulentiæ uitæ dedita, ipsos plærunq; ad bonam frugem propulsatores, monitoresq; senes, ceu deliros, surda, quod dicitur, aure nõ tantũ præterire, quã etiam cõtemnere cõsueuerit. Non intelligens, dum præciosissimum interim sumptũ Tempus per inertiam consumere studet, ipsum etiam florem ætatis decurrere: ut sapienter dixit Satyricus:

Fæstinat enim decurrere uelox
Flosculus angustæ, miseræq; breuissima uitæ
Portio, dum bibimus, dũ serta, ungenta, puellas,
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Porrò ut paucos saltem (ubi in præcipitiũ concedere uolẽt multi) à calcato lubricitatis tramite, reducere liceret mihi: placuit hasce breuissimas equidem quæstiones, ueluti in fasciculum quendam colligere, ut cognitis rugosæ senectutis incommodis, statim in ipso adhuc ætatis flore, solidum illud, ad fœlicitatẽ uiaticum uirtutem, comparare sibi studerent hi, qui spei melioris sunt iuuenes. Reuera enim quirectè consulentes sequuti fuerint, ut commodissimè senectutis limen attingant: ita longissimam habituri sunt senectutem. Offendent præterea ipsi etiam senes hic annotata quædam quibus cum uirtutis, tum patientiæ Christianæ admoneri queant.

Quid ſit ſenectus.

1 Quid eſt ſenectus? Vitæ occaſus.
2 Quid eſt ſenectus? Malorum omnium portus.
3 Quid debet eſſe ſenectus? Emerſio, nō naufragiū uitæ ſu
4 Quando ſenectus appetitur? Cum abeſt. (periori.
5 Quæ in uno habitare nequeūt? Senectꝰ & corporis pulchritudo.

Senectutis honos quis ſit?

6 Quod decus ſenum eſt? Canicies.
7 Cuiuſmodi indiciū eſt canicies? Tēporis, nō prudētiæ.
8 Quæ annorum mater eſt? Gloria.
9 Quæ eſt ſenum gloria? Cani cum Dei timore.
10 Quæ canicies eſt laudanda? Nō annorum ſed morum.
11 Quid hominis celerius caneſcit? Tempora.
12 Quid in homine nouiſſime caniciem ſentit? Pubes.

Quæ maxime ſit cauſa ſenectutis.

13 Quid ſenectuti effœtum corpus facit? Libidinoſa & intemperans adoleſcentia.
14 Qui oīum magis ſeneſcūt? Multū coēūtes & laborātes.
15 Quæ minuunt dies hominis? Zelus & iracundia.
16 Quid ante tēpus ſenectā adducit? Perpetuꝰ cogitatꝰ.
17 Quid ſenibus uitam aufert? Triſtis maturitas.

Quod certum ſenectutis tempus ſit.

18 Quando ſenectus incipit? A ſexageſimo anno.
19 Quæ matura ſenectutis ætas eſt? Vita immaculata.

Quæ potiſſimum ſenem deceant.

20 Quid plꝰ oībus ſenibus cōuenit? Religiōi opam dare.

21 Quid ætatis grauitatē maxīe decorat? Morū grauitas.
22 Quid adultus uelle minus debet? Quæ uoluit puer.
23 Quæ piorum ſenum propria eſſe debent? Sobrietas, grauitas, modeſtia, ſana fides, charitas & patiētia.
24 Quem primum in cœtu decet loqui? Maiorem natu.
25 Cuiꝰ ſenex mīme erubeſcere debet? A' iuuene diſcere.
26 Quid debent iuuentuti ſenes? Salutaria monita atq; documenta.
27 Quid ſenibus impenſè cauendum? A malis exēplis.

Quæ ſenem unice dedeceant.

28 Quid ſeni uel maxime uitio datur? In taberna ſedere, ad circum feſtinare, & ad theatrum aſcendere.

Quæ ſenectus uere beata ſit.

29 Quis bene ſeneſcit? Qui bene ſenſerit.
30 Quis ſenex beatus eſt? Qui bene uixit.
31 Quid ſenibus iucundiſſimū eſt? Cōſcientia bene actæ
32 Quando honeſta corona ſenectus eſt? Vbi (uitæ. in uia iuſtitiæ reperitur.
33 Qui agūt tolerabilē ſenectutē? Senes moderati, nec
34 Quo nihil iucūdius? Otioſa ſenectute. (difficiles.
35 Cuius ſenectus præſtantior eſt ignaua iuuenta? Viri fortis atq; ſtrenui.

Quæ ſenectus miſere infœlix ſit.

36 Quæ res turpis & ridiculoſa eſt? Elementarius ſenex.
37 Quorū nouiſſima ſenectus erit ſine honore? Impiorū.
38 Quid eſt omnibus æque odioſum? Senex fatuus ac luxurioſus.
39 Quid eſt in hac uita calamitoſiſſimum? Senex egens.

Quid

40 Quid est melior rege sene & stulto? Puer pauper & sapiens.

Quæ sint commoda abiectæ senectutis.

41 Quæ ætas apud oẽs gẽtes honorabilis est? Proba sene
42 Ad qd confugiũt oia? Ad expertã senectutem. (ctus.
43 Quos dedit natura prælatos? Seniores.
44 Quæ est senum corona? Multa peritia.
45 Quæ est senum corona? Filij filiorum.
46 Vbi est sapientia? In longæuis plurima expertis.
47 Quorum pes tardus, animus uero uelox est? Prudẽtũ
48 Quibus rebus uel maxĩe augetur senectus? (senũ.
Consilio, authoritate & sententia.
49 Quæ senectus iucundior? Iuuentutis studijs stipata:
50 Quid iuuenis ex uoto optat esse? Quod senex fuit.
51 Quæ homo in senectute sua minime inueniet? In iu-
uentute non congregata.
52 Ad qd firmior senect9 est? Ad reprimẽdos libidinũ a-
53 Quur senes nõ spernẽdi? Quia ex nobis senescũt. (ctus
54 Qui omniũ facilime ieiuniũ tolerãt? Frigidi senes.
55 Qui febribus acutis minus cõpræhendunt? Silicernia.
56 Qui pestilentiam minime sentiunt? Defecti ætate.
57 Quibus in bello parcendum? Inermibus adultis.
58 Quo ,pcul arcet̃ improba senecta? Intempestiua stul-
59 Quo iucundius uiuũt obliuiosi senes? Quòd (ticia.
multorum uitæ malorum non meminerint.
60 Qui pueris impensius gaudent? Balbutientes senes.
61 Quib9 uicissim potissimũ delectãtur pueri? arridẽtib9
62 Quid est in decrepitis, corporis infirmi- (senibus.
tas? Mentis sobrietas.
63 Quoꝝ mors mollis ac somnus est? Incogitantiũ senũ.
Quid facit senem fortem? Vicina libertas.

Quæ sint senectutis incommoda.

1 A natura.

64 Quorũ deflorescit formæ nitor, languescit alacritas, frigescit lepos, labascit uigor? Decrescentium senũ.

65 Vnd ferro similis senex dicitur? Ob membrorum siccitatem & frigiditatem.

66 Quid putredini magis uicinũ est? Sordens senectus.

67 Quid senectus certo nunciat? Mortem præsentem.

68 Cui ætati prorsus nullus est certus terminus? Capulo proximæ.

69 Quur senes iuuenibus plerunq; sunt nigriores? Quia sanguinem habent siccescentem.

2 Ab ingenio.

70 Quorum ingenium consenescit & ad res omnes subito elanguescit? Tetricorum senum.

71 Quando senex uere incipit uiuere? Cum desistendum est.

72 Qui uix dediscunt, quæ perperam didicerunt? Adultiores.

73 Quorum ætas dura & intractabilis? Rugosorum senum.

74 Vbi maior est obstinatio? In Senibus.

75 Qui magis omnium sunt increduli? Sæpius falsi senes.

76 Qui magis ad rem sunt auidi? Auari senes.

77 Qui sunt magis morosi atq; iracundi? Squalidi senes.

78 Qui sunt multũ immemores? Pueri & multum senes.

79 Quorum potissimum meminerint decrepiti? Omnium quæ maximæ curant.

In

80 In q̃ perseuerat senex? cuius est adolescens institutus.
81 Quis est impudens laudator temporis acti? Garrulus senex.
82 Quis inter iuuenes admodum molestus est? Morosus senex.
83 Quid adultis ualde est asperum? Cum à iunioribus corripiuntur.
84 Quæ ætas plena est malis? Longa senectus.
85 Quis Venerē affectat sine uirib9? Cadauerosus senex.
86 Quo nihil turpius? Amatore cano.
87 Quis quouis iuuene impotentius insanit? Senex cum cœperit amare,
88 Quid exagitat senes? Conscientia.
89 Quid facit senes instabiles? Peccandi consuetudo.
90 Quid difficile imitantur senes? Alienam linguam.
91 Quibus anima in labris est? Capularibus senibus.
92 Quos, quo minus est caussæ cur in uita manere debeant, hoc magis iuuat uiuere? Incuruos senes.
93 Quid senibus maxime molestum est? Multa quæ non uolunt uidere.
94 Quod uotum senibus frequentius est? Mortis.
95 Qui bis pueri sunt? Obliuiosi senes.
96 Quando homo propius ad pueritiæ similitudinem redit? Cum magis ad senectam accedit.
97 Quis, quo natu grandior, hoc etiam stultior est? Brabantus.

3 A corpore.

98 Quid est optare senectutem? Longam optare infirmitatem.
99 Quot sunt senectutis morbi?

Præterea minimus gelido iam corpore sanguis,
Febre calet sola; circumsilit agmine facto,
Morborũ omne genus: quorũ si nomina quæras

Propitius expediã; quot amauerit Hippia mœchos.
Quot Themison ægros autumno occiderit uno.
Quot Basilius socios; quot circumscripserit Irus
Pupillos; quot longa uiros exorbeat uno
Maura die: quot discipulos inclinet Amillus.
Percurram citius quot uilas possideat nunc
Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat.
Ille humero; hic lumbis; hic coxa debilis; ambos.
Perdidit ille oculos: & luscis inuidet huius
Pallida labra cibum cupiunt digitis alienis.

Vel breuius sic responde.

Quot maris harenæ.

100 Quæ tamen infirmitates maiores natu uel maxĩe manẽt? Difficultas spirãdi, distillatio, tussis, stillicidiũ & difficultas urinæ, articulorũ ac renũ dolor, uertigo, insomnia, hebetudo oculorũ, & grauitas auriũ &c.

101 Vbi nulla gaudij uicissitudo est? In graui senectute.

102 Qñ custodes domus trepidãt? Cũ senis man9 tremũt.

103 Quando fortes se incuruant? Cum senis crura labascunt atq; genua uacillant.

104 Quando ociosæ sunt molentes? Vbi extrema senectus fit edentula.

105 Quando contenebrascunt uidentes per fenestras? Cũ oculi calamitosi senis parum prospiciunt.

106 Quando ostia platearum clauduntur? Cum os balbutientis senis fit pendulum ac tremulum.

107 Quando uox molitricis extenuatur? Cum rugosum senis guttur claudit uocem ut exilis fiat

108 Quando ad uocem uolucris consurgitur? Cum ægre dormiẽtes senes ad primum gallorum cantum excitantur.

109 Quãdo omnes filiæ cantici flaccescunt? Cum ambæ senis aures obsurdescunt.

Quando

110 Quãdo altitudo timet & reueretur in uia? Cũ ſenex obſtipo capite & flexis humeris timide incedit.

111 Quando floret amigdalus? Cũ ſenis caput caneſcit.

112 Quando oneratur locuſta? Cum ſenis corpus ex hauſtum ſit.

113 Quando capparis ceſſat? Cum tetricus ſenex nulla prorſus re iucunda aut adficitur aut fruitur.

114 Quis uacat miſeris illis curis, quibus ſapiens diſtor quetur? Delirus ſenex.

115 Quid eſt uiuum cadauer? Cauernoſus ſenex.

116 Quando homo in domum æternitatis ſuæ proficiſci tur? Cum ad ſepulchrum flebiliter effertur.

117 Quando funiculus argenteus tollitur, & fontes aurei calamitoſe auferuntur? Cum ſapor eſcæ ac po tus in ſene ceſſat.

118 Quando conteritur hydria ad fontem? Cum ſenis anhelitus ingraueſcit.

119 Quando rota ad ciſternam frangitur? Cum corpus fouentia membra ab officio deficiunt.

120 Quando puluis in terram ſuam reuertitur? Cum ho mo moritur & ſepelitur.

121 Quando ſpiritus ad Deum, qui dedit illum, reuerti tur? Cũ hominis anima tacita Dei ſinu recipiť.

Quibus facillime ſenes ſuſtentari queant.

122 Quo longa ſenecta facile toleratur? Intus mulſo, foris oleo.

Quorum ſenum crudelis olim fuerit interitus.

123 Qui ſenes iugulatos deuorarunt? Maſſagetæ & Derbices.

Qui

124 Qui morti propinquos in patibulis suspenderunt? Tibareni.

125 Qui defectos ætate canibus obiecerunt? Hircani.

Quid tenera iuuentus graui senectuti in primis debeat.

126 Vnde gloria hominis est? Ex patris sui honore.

127 Quod dedecus filij est? Sine honore pater.

128 Cuius persona unice honoranda est? Prudētis senis.

129 Coram quo capite iuuentuti, honorifice quidem consurgendum est? Cano.

230 Quibus obuijs, iuniores natu uia cedere ac deflectere debent? Maioribus natu.

131 Quando adolescenti & parce & caute loquendum est? Inter maturos Senes.

132 Quare narratio seniorum minime negligenda est? Quia eam à patribus suis didicerunt.

133 Quibus sensibus ipsorum deficientibus uenia iure est danda? Parentibus.

Qua nam ratione iuuenis fœliciter in malicioso hoc mundo uixerit.

134 Quid faciat iuuenis quo fœliciter uiuat? Si tristiciam atq; solitudinem studiose fugerit.

135 Vt appetēs tumultuosam turbam minime tristetur? Si malis uel à puericia adsuetus fuerit.

136 Qui tandem lætetur impatiens adolescens rebus in aduersis? Si Deum unice reuerebitur, iucundis iucunde fruatur, nec asperis frangatur.

137 Quomodo iucundis læte fruatur? Si in futura non distendatur.

Vt

138 Vt asperis non frangatur æstuans iuuentus? Si in Deo cōsiderit & mundū infracte contempserit.

Quædam annosæ uiuacitatis exempla.

Masinissa rex Numidiæ, centum natus annos, nullo unquam imbri, nullo frigore, ut caput suum ueste tegeret, adduci potuit.

Idem, aliquot horis in eodem uestigio perstare solitus fuit, non ante moto pede, quàm consimili labore iuuenes fatigarit.

Idem, exercitus equo insidens noctem dici plerunq; iungendo, duxit.

Gorgias Leontinus philosophus, cum centesimum nonum ageret annum, interrogatus, quapropter tamdiu uellet in uita remanere, quia nihil, inquit, habeo quòd senectutem meam accusem.

Cyrus admodum senex, negauit se unquam sensisse se nectutē suā imbecilliorem factam, q̄ fuisset in adolescentia.

χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βαρύς.
ἐφόδιον εἰς τὸ γῆρας αἰεὶ κατατίθου.

τέλος τῷ θεῷ χάρις.